

huic assertioni, si tamen attente legantur exceptiones quæ addi solent illi regulæ, majori ratione excipienda judicabuntur hæc privilegia. Ait enim Felin., in dicto cap. *Cum accessissent*, num. 26, in fine, et 27, privilegium quod consistit in mera et expressa facultate non amitti per non usum, et dicit esse communem sententiam. Ipse vero ait necessarium esse ut in privilegio expresse dicatur, *Quando volueris*, vel quid simile. Sed certe, ut bene ibi notat Abb., hoc parum refert, quia in ipsa ratione privilegii includitur illa conditio, et ideo ille effectus non nascitur ex sola expressione illius particulæ. Melius ergo dicitur talia privilegia, cum natura sua in mera voluntate consistant et contra illa alii non præscribant, non amitti per non usum in ullo foro.

30. *Privilegia quæ ex dispositione juris per decennium amittuntur quomodo intelligenda.* — Tertio, dico in privilegiis quæ ex peculiari dispositione juris per decennium non utendo amittuntur, probabile esse in conscientia amitti, licet sit incertum. Probo simul utramque partem; nam imprimis probabile est per hujusmodi leges induci præscriptionem respectu aliorum quibus possunt esse onerosa talia privilegia, ut declaravi: et juxta hoc principium procedit probabiliter prima assertio etiam in his privilegiis, non tamen cum certitudine, quia hoc proximum principium de præscriptione in eo casu interveniente dubium est. Deinde intelligi potest hæc privatio per modum pænæ ipso jure impositæ propter non acceptam possessionem privilegii, vel propter quemdam quasi contemptum ejus. Hoc autem modo magis erit incerta assertio, tum quia non invenitur sufficiens fundamentum talis pænæ, tum quia leges loquentes de hoc modo perdendi privilegium non addunt particulam *ipso facto*, vel *jure*, vel *absque alia declaratione*, aut similem, ut patet in dicta leg. 1, et in legib. Partit.; ergo, saltem donec priventur juridice, non tenebuntur in conscientia abstinere ab usu privilegii. Aliunde vero est valde probabile talia privilegia quoad durationem suam fieri conditionata ex vi talium legum: quando autem privilegium non conceditur nisi sub tali conditione, illa non posita cessat privilegium, non præsumptione tantum, sed vere, ac in re ipsa, ac subinde in conscientia: ergo etiam in illo casu amittitur statim in conscientia. Consequentia cum minori claræ sunt. Major autem, licet non sit omnino evi-

dens, probabilior tamen videtur attente consideratis verbis et dispositionibus dictarum legum, et ideo ex hoc fundamento probabilior videtur hæc sententia quoad hæc privilegia. Et in illis et in aliis de quibus prima conclusio loquitur, sufficienter videtur procedere communis sententia, quæ absolute loquitur de amissione talium privilegiorum per non usum; unde videtur plane intelligere de amissione vera et in re ipsa, ac subinde ipso facto, et non tantum præsumptione juris, vel in pœnam per judicem imponendam.

CAPUT XXXV.

QUANDO ET QUOMODO AMITTATUR PRIVILEGIUM PER CONTRARIUM USUM.

1. *De amissione privilegii per contrarium usum.* — Hic modus amittendi privilegium proprie habet locum in privilegiis negativis quæ dant facultatem non faciendi aliquid jure ordinario alias debitum, ut non solvendi tributa debita, vel non subeundi onera, et similia, ut recte explicuit rex Alphonsus in l. 42, t. 18, p. 3. Usus autem contrarius his privilegiis est actio contraria negationi seu omissioni per privilegium concessæ, ut solvere tributum, subire onus a quo privilegium excusabat. Dicitur autem hæc oppositio contraria, quia licet inter positivum actum et negationem ejus tantum videatur esse oppositio contradictoria, nihilominus actus ille positivus cum ipso privilegio seu ejus concessione habet positivam oppositionem, et ideo merito contrarietas appellatur, sicut assensus propositionum contradictiarum inter se contrarii sunt. Et ita in hoc multum differt usus contrarius privilegio a non usu, quia non usus revera non habet propriam oppositionem cum privilegio, sed tantum cum exercitio ejus, seu cum actu illius, cui contradictorie opponitur. Usus autem contrarius privilegio negativo non tantum opponitur usui privilegii, sed etiam positive repugnat ipsi privilegio, quia qui sic operatur, actu ipso profitetur se non habere talem favorem vel exemptionem.

2. *Magistralis regula.*—*Privilegium amittitur per contrarium usum, si adsint circumstantiæ necessariae.* — Hinc ergo magistralis regula in hoc puncto est, privilegium amitti per contrarium usum si circumstantiæ necessariae concurrant. Ita sentit Gloss. per textum in c. *Gratum*, de Offic. deleg. verb. *Recessum*;

Gloss. in c. *Ex ore*, de His quæ fiunt a major. part., etc., verb. *Renuntiasset*, etiam per illum textum. Item Glossa per textum in cap. ult. de Vit. et honest. cler., verb. *Cum facto*. Quæ Glossæ alia jura, tam canonica, quam civilia adducunt, quæ in discursu attingemus. Et idem sentiunt interpretes eisdem locis, et in c. *Cum accessissent*, de Const., et c. *Si de terra*, et c. *Accedentibus*, de Privil.; Bart. in l. 1, c. de His qui sponte, etc., l. 10 et in l. ult. ff. de Const. Princ., ubi etiam Jason, et alii. Ad explicandam autem, et fundandam dictam regulam, oportet tractare fere eadem puncta, quæ in superiore capite tractata sunt.

3. *Prima sectio.* — *Usus contrarius quid.* — Primo ergo declarandum est quis usus dicatur in præsentem contrarius privilegio ut illud possit extinguere. In quo imprimis suppono necessarium esse ut actus sit ipsiusmet privilegii: nam si sit ab alio pro quo non est datum privilegium, non erit privilegio contrarius, cum contraria debeant circa idem versari, cujus rei exempla paulo post subjiciemus. Deinde addo actum debere esse repugnantem non tantum materiali omissioni talis actus, ut sic dicam, seu carentiæ ejus, sed etiam debere opponi exemptioni quam privilegium concedebat, ita ut intelligatur actus fieri ex obligatione, vel subdendo se obligationi quam privilegium auferebat. Hoc constat, quia alias actus non est contrarius privilegio, ut, verbi gratia, si quis habeat privilegium non jejunandi, et postea jejunet diebus non præceptis, actus ille non censebitur contrarius privilegio, quia privilegium non pro illis diebus datus est, sed pro diebus in quibus jejunium præcipitur. Hinc dixit Bart., in dicta l. 1, quem Panorm. et alii sequuntur in dict. c. *Cum accessissent*, eum qui aliquid operatur quod videtur contrarium privilegio, si protestetur, ita id agere ut non præjudicet juri sui privilegii, non efficere usum privilegio contrarium, ideoque per similes actus non amittere privilegium, quia ex vi illius protestationis profitetur non id facere ex obligatione contraria exemptioni privilegii, neque animo renuntiandi privilegio, sed ex mera voluntate vel liberalitate.

4. *Exemplum.* — Idemque est exemplo illo non jejunandi, si quis ex devotione tantum jejunet in die aliquo quadragesimæ, etc. Item in privilegio non recitandi, si quis ex devotione recitet, et similibus. Et declaratur hoc amplius quia, etiam ad hunc modum amittendi privilegium, necessarium est ut aliquis

sciens et videns contra privilegium operetur. Nam qua ratione conditiones hujusmodi necessariae sunt ad non usum, eadem sunt necessariae ad usum contrarium, quia etiam hic usus debet esse voluntarius, ut vel contineat virtualement renuntiationem privilegii, vel alia ratione præjudicet operanti; ergo necessarium etiam est ut ille usus sit voluntarius, non tantum materialiter (ut sic dicam) quatenus talis actus est, sed etiam formaliter, ut est contrarius privilegio. Nam si quis ita operetur non putans vel non advertens illud esse contra privilegium, non erit actus sufficienter voluntarius ad prædictum effectum; idem ergo est quoties aliquis directe præcævet ne contra privilegium operari videatur.

5. *Secundum necessarium, ut fiat a persona quæ possit renuntiare privilegio.* — *Duobus modis actus privilegiati inefficax esse potest.* — *Primo.* — Secundo, principaliter necessarium est ut usus ille contrarius sit in tali persona efficax contra privilegium, id est, ut fiat a persona quæ possit renuntiare privilegio. Quia si quis est impotens ad renuntiandum privilegio, multo magis erit impotens ad destruendum illud per suos contrarios actus, quia nec tales actus recipient efficaciam a voluntate operantis, ut per se constat; nec ab aliquo jure, quia potius jus prohibet tales actus tali personæ; ergo non potest dare illi efficaciam ad tollendum privilegium. Quapropter, sicut talis persona ipso jure est impotens ad renuntiandum privilegio, ita etiam ad destruendum illud, vel ad expellendum illud a se per actus contrarios. Duobus autem modis contingit actum privilegii conantis contra privilegium, esse inefficacem ad tollendum illud. Primo, quia privilegium pertinet ad jus publicum et commune, et ratione illius non solum conceditur singulis de communitate facultas utendi privilegio, sed etiam imponitur illis necessitas, quia quilibet usus contrarius privatae personæ redundaret in damnum totius communitatis. Et tunc actus contrarius non solum non valet ad renuntiandum in totum privilegio etiam pro actibus seu temporibus futuris, verum etiam non valet ad renuntiandum in præsentem pro uno actu. Casus est in cap. *Contingit*, de Sententia excommunicat.; nam clericus renuntians immunitati canonis, et voluntarie se supponens violentæ percussioni, nihil operatur, sed privilegium retinet, etiam quoad illum actum, et ideo percussus illum etiam volentem, excommunicationem canonis in-

curret, ut ibi notat Glossa ultima, et est recepta sententia. Simile est, in cap. *Si diligenti*, de Foro competent., de privilegio fori; nam, licet clericus permittat se a seculari iudice criminaliter judicari, non solum non amittit exemptionem, verum etiam tale iudicium nihil valet, et ita neque pro illo actu privilegium a se auferre potuit. Idemque est in similibus.

6. *Secundo.* — *Et hoc dupliciter.* — *Primo.* — *Secundo.* — Alio modo contingit hæc prohibitio, quando privilegium non est per se primo personæ privatæ concessum, sed communitati alicui. Quod contingit duobus modis. Primo ut privilegium ita detur pro communitate ut sit ad prærogativam ejus, ut talis communitas est, vel etiam ad usum totius corporis communitatis, ut est una persona ficta. Et tunc actus in contrarium facti a singulis de communitate nihil auferunt de privilegio; ratio est clara ex dictis, quia tunc qui conatur contra privilegium non est ipsemet privilegiarius. Nam aliud est corpus mysticum cui datum est privilegium, aliud membra illius, seu singulæ ejus personæ, quibus tale privilegium non datur. Igitur, licet singuli de communitate contra privilegium agant, nihil illi nocent, saltem per modum renuntiationis; an vero per modum præscriptionis possit nocere, statim videbimus. Alio vero modo contingit privilegium concedi communitati per se primo, ad usum vero singulorum, ita ut eis detur facultas, non tamen imponatur necessitas utendi tali privilegio, quia contrarius usus non cedit in injuriam vel detrimentum communitatis, et talia sunt multa privilegia religiosorum, ut constat. Hujusmodi ergo usus contrarius singularum personarum nunquam poterit auferre privilegium ab ipsa communitate propter eandem rationem, poterit tamen ipsis privatis personis præjudicare, etiam per modum renuntiationis, quia favor illorum separabilis est ab ipsis, sine præjudicio communitatis. An vero hæc renuntiatio tunc sit de toto privilegio, etiam pro futuris temporibus, vel solum pro solis actibus præsentibus qui contra privilegium fiunt, in sequentibus videbimus.

7. *Secunda sectio.* — *Secundo*, exponendum est quomodo sit intelligenda hæc amissio privilegii per contrarium usum. Duobus enim modis supra positus potest intelligi, scilicet, per renuntiationem tacitam, vel per modum alicujus præscriptionis; quibus addi posset tertius modus, videlicet, per modum

pœnæ in jure impositæ, sed hunc omittimus; tum quia nec in jure fundamentum habet, nullibi enim legitur lata hæc amissio privilegii in hoc casu per modum pœnæ; tum etiam quia, sicut de non usu dixi, ita etiam in contrario usu verum est nullam rationem pœnæ in eo reperiri, quia licite potest quis agere contra privilegium suum; non est ergo ob eam rem dignus pœna. Imo quando aliquis delinquit agendo contra privilegium suum cui renuntiare non potest, non punitur privilegii privatione, sed aliis pœnis, ut patet ex dict. c. *Contingit*, et c. *Si diligenti*. Inter illos autem duos priores modos est difficultas, quia in jure uterque insinuat; nam in c. *Si de terra*, et c. *Accidentibus*, de Privilegiis, requiritur tempus triginta vel quadraginta annorum ut per contrarium usum privilegium amittatur. In quo significatur hunc effectum sequi ex aliqua præscriptione. In contrarium vero est, quia in eisdem juribus fundamentum hujus amissionis dicitur esse tacita renuntiatio, ut patet ex illis verbis c. *Si de terra*: *De privilegio tamen indulto tanto tempore vobis detrahere voluistis, cum liberum sit unicuique juri suo renuntiare: et ex illis c. Accidentibus: Cum enim tanto tempore contra indulta privilegia decimas solverint, eis renuntiasse præsumuntur.* Item ex cap. *Ex ore*, de his quæ fiunt a maj., etc., ibi: *Per hoc, quod dicto N. reverentiam exhibuit quæ debetur Præposito, juri suo renuntiasse videtur.*

8. *An privilegium amittatur ob tacitam renuntiationem.* — In hoc puncto, communis opinio videtur esse privilegium in hoc casu amitti propter tacitam renuntiationem. Ita sentiunt Glossæ et doctores circa dicta jura; et Panorm. in dicto cap. *Cum accessissent*, de Constitut., n. 8, magis rem explicans, dicit per contraventionem amitti privilegium ex tacita renuntiatione, quoties contraventio fit a persona quæ potest renuntiare privilegio; nam si persona talis non sit, tunc ait Panorm. esse necessariam præscriptionem, et idem sentit Felin. ibi n. 28, regul. 3, et num. 29, limitat. 3, ad hoc ponderans textum illum, et l. 2, cod. de Jure dotium; ac denique varia dicta et doctrinas doctorum congerit, quibus semper indicant per contraventionem amitti privilegium propter tacitam renuntiationem absque præscriptione, nisi in specialibus casibus quos per varias limitationes ibi prosequitur.

9. *Advertendum.* — *Prima conclusio.* — Nihilominus adverte renuntiationem privile-

gii duobus modis intelligi posse: uno modo, solum quoad valorem illius actus qui continet usum privilegii; alio modo, quoad totam facultatem privilegii, seu quoad usum ejus in toto futuro tempore; et juxta hos duos sensus diversis etiam modis respondendum censeo. Dico ergo primo: per usum contrarium privilegio amittitur privilegium, vel potius fructus privilegii quoad præsentem actum, seu causam de qua tractatur, propter tacitam renuntiationem absque titulo contrariæ præscriptionis. Hæc assertio communiter recepta est ab auctoribus allegatis et statim referendis. Sumiturque ex dict. c. *Ex ore*, de His quæ fiunt a maj., et ex c. *Gratum*, cum Glossa ibi, de Offic. deleg., quæ allegat varia jura hoc probantia, et non amplius. Idem patet ex l. ultim., ff. de Privil. veteran., et sumitur etiam ex l. 2, ff. Ad municipalia, et l. 2 in fine, ff. de Decurion., et l. 3, cod. de His qui sponte publ. mun. sub., lib. 10. Et habetur optime in l. 43, tit. 18, part. 3, ubi si quis habens circa rem aliquam privilegium de re illa in judicio convincitur, et in eo privilegium non allegat, et ideo condemnatur, perdit privilegium quoad rem illam de qua condemnatur, ita ut amplius non possit circa illam eandem rem allegare privilegium. Ubi obiter noto quod, licet non allegare privilegium videatur potius non usus quam contrarius usus privilegii, nihilominus causam talem agere in judicio et velle judicari sine fundamento privilegii est usus positivus contrarius privilegio, qui satis est ut actus repugnans privilegio validus sit contra privilegiarium, non obstante privilegio. Quod certe non potest fundari in præscriptione, quia ibi nulla intervenit, ut constat; ergo provenit ex tacita renuntiatione, quæ perpetua manet in illa materia circa quam versatur. Ratio est, quia hæc renuntiatio tacita fit per positivam actionem per quam jus acquiritur alteri, a quo acceptatur, et ideo quoad illum effectum rata et firma manet. Et in hoc differt multum inter non usum privilegii, et usum contrarium, ut magis in sequentibus punctis declarabitur.

10. *Secunda conclusio.* — Dico secundo: per usum privilegio contrarium nunquam amittitur privilegium quoad usum futuri temporis, seu quoad totam facultatem et substantiam privilegii, per solam tacitam renuntiationem, sed necesse est ut legitima præscriptio contra privilegiatum intercedat. Hanc assertionem docet satis clare Greg. Lopez in l. 42, tit. 18,

part. 3, Gloss. 1, quatenus ait, qui ex privilegio immunis est a solutione tributorum, licet sæpius illa solvat, si non continuavit per legitimum tempus necessarium ad præscriptionem, licet præjudicet sibi in solutis, non tamen in solvendis. Ex quibus duabus partibus prior pertinet ad præcedentem assertionem, et illam confirmat; posterior vero aperte continet hanc secundam, pro qua citat Cynum et Salicet. in l. *Voluntarie*, c. de Excusat. tutor.; et Bart. cum Glossa, in l. 2, c. de His qui sponte mun. sub., l. 10, et in l. 2, ff. de Privil. veter., ex quo textu aperte colligitur hæc assertio. Dicit enim privilegium immunitatis a muneribus civitatis non labefactari, etiamsi aliquis *voluntate sua honorem aut munus susceperit*. Ubi Glossa dicit non labefactari quominus ipsi et eorum liberi perseverent immunes in aliis; quia nimirum non intelligitur amissum privilegium in se et in substantia sua, sed solum quoad illum effectum, qui voluntarie amissus est. Idem indicatur satis in dicta l. 43 partit., ibi: *Pierdese el privilegio quanto a aquello sennaladamente, en que fue dado el Lucio*, id est, non allegando privilegium in judicio, qui in eo condemnatur, perdit privilegium, quoad id in quo condemnatur, et non amplius; hanc enim vim habet illa particula *Sennaladamente*, ut ibi etiam expendit Greg. Lop., referens Alexand., cons. 33, volum. 5. Denique ad hoc etiam confirmandum faciunt cap. *Si de terra*, et c. *Accidentibus*, supra allegata, quatenus præscriptionem requirunt. Ratio vero est, quia per solam contraventionem non censetur quis renuntiare privilegio, nisi in eo in quo venit contra privilegium; sed, per aliquem usum contrarium, non contra totum privilegium in se et tota facultate sua etiam pro futuris temporibus, sed tantum hic et nunc et in tali materia; ergo non debet amplius extendi renuntiatio, nec est unde major præsumatur, imo etiam nullum est jus in quo talis præsumptio fundari possit. Nam lex ult., ff. de Privil. veter., et c. *Cum accessissent*, de Const., quæ in contrarium induci possunt, revera non sunt contraria, ut in sequenti puncto commodius dicetur, ubi hæc etiam resolutio magis explicabitur et confirmabitur.

11. *De tempore ut privilegium amittatur per contrarium usum.* — Tertio igitur interrogari potest quantum tempus necessarium sit et sufficiat ut privilegium per contrarium usum amittatur, et consequenter quot actus hujus contrarii usus sufficiant, vel necessarii

sint ut privilegium amittatur. Ubi primum occurrit tractanda vulgaris quæstio an privilegium per unum actum contrarium amittatur. In qua Panormitanus, in dicto cap. *Cum accessissent*, distinguit de privilegio dato privatæ personæ vel communitati. Et de priori dicit amitti per unum actum contrarium. Et rationem reddit, quia in privato quælibet directa contraventione inducit renuntiationem validam, quia complectitur contrarium; et sumit argumentum a simili ex cap. *Cum renuntiat*, 32, quæst. 1, et ita etiam intelligit dictum cap. *Cum accessissent*, dicens hunc esse casum ejus. Citat etiam Bart. in leg. 1, c. de His qui spont. mun. pub. sub., lib. 10, ubi sentit privilegiatum ne solvat tributa, si semel solvat, præjudicare sibi in futurum, nisi fuerit protestatus. At vero, de posteriori privilegio concessio communitati seu Ecclesie, ait non amitti per unam contraventionem, sed requiri præscriptionem, juxta dictum capit. *Si de terra*, et cap. *Accedentibus*; et ratio est, quia singulares personæ non possunt renuntiare privilegio Ecclesie vel communitatis expresse: ergo nec tacite, et ideo non sufficit contrarius usus unius vel alterius de communitate, sed præscriptio necessaria est. Quam distinctionem sumpsit Panormitanus ex Innocent., in cap. *Accedentibus*, de Privilegiis, licet paulo aliter ab Innocent. explicetur; et sequitur Felinus, supra, num. 28 et 29, regula 3, limitation. 3.

12. *Privilegium etiam privatæ personæ concessum, per unum actum non amittitur.*—*Probat*ur primo.—*Secundo.*—Hæc vero distinctio et ratio differentie mihi probari non potest. Quia si sit sermo de amissione privilegii in se et quoad usum futuri temporis, censeo privilegium etiam privatæ personæ concessum per unum actum seu usum contrarium non amitti: et ita quoad hanc partem non habet locum differentia. Assumptum probatum est in præcedenti puncto, dicto 2, et probatur ad hominem contra Panormitanum, quia ipse fatetur (et merito) quod si quis habeat privilegium generale ne subeat aliqua munera publica, et sponte eligatur ad unum, non præjudicat sibi in aliis, neque etiam in illo si iterum eligatur ad illud, juxta leg. *Voluntarie*, c. de Excusat. tut., quæ recte potest sic intelligi, licet alios sensus patiat. Verba legis sunt: *Voluntarie tutelæ munera privilegiis nihil derogant*, scilicet, quoad alia munera suscipienda præter voluntarie suscepta, ut ibi Glossa exponit allegans alia jura. Et idem sentit ibi Bartolus cum

Glossa et aliis. Denique idem fatetur Felinus supra, limitatione secunda, ubi, ad hanc partem confirmandam, multa allegat quæ plane destruunt suam regulam et dictam differentiam, nostramque sententiam confirmant. Primo quidem, quia qua ratione habens excusationem a multis muneribus, renuntians quoad unum, non censetur renuntiare quoad alia; eadem profecto ratione, qui habet privilegium perpetuum, licet in uno momento admittat aliquid contrarium privilegio, non præjudicat sibi pro toto tempore futuro: nam est eadem proportio. Maxime quia acceptans munus aliquod contra privilegium suum una vice non sibi præjudicat, ut acceptare cogatur si iterum ad illud idem eligatur, ut Panormitanus expresse fatetur: ergo idem erit in quocumque alio usu contrario; nam licet in uno actu vel tempore admittatur, non ideo præjudicat utenti pro toto tempore futuro; quæ enim ratio differentie assignari potest? Præterea, quando in actu contrario privilegio potest cadere alia præsumptio quam renuntiationis totius privilegii, non est talis renuntiatio præsumenda, ut ex Anton. in dicto cap. *Accedentibus*, refert Felin. supra, et merito sequitur, quia talis præsumptio est odiosa et restringenda, ut ex Paul. Castrens., cons. 25, idem Felinus ait, et satis favet Glossa in Clem. *Sæpe*, de Verb. significat., verb. *Partibus*, in fine; et Panorm. in c. *Ad audientiam*, de His quæ vi, n. 3, ubi ait modicam conjecturam sufficere ad excludendam præsumptionem spontaneæ renuntiationis. At vero in unum actum privilegio contrarium optime cadit alia præsumptio sine renuntiatione totius privilegii in se et pro toto tempore futuro, scilicet, renuntiatio proprii favoris in hoc negotio, vel in gratiam talis personæ, vel ad finiendam aut vitandam hanc litem; ergo immerito et sine fundamento extenditur præsumptio ad renuntiationem totius privilegii.

13. *Quid de privilegio concessio communitati dicendum.*—At vero si sit sermo de amissione privilegii solum quoad præsentem materiam circa quam versatur usus contrarius semel factus, sic verum quidem est amitti per unum actum contrarium, in privilegiis privatarum personarum, juxta dicta in superiori dubio. Dico tamen idem esse (servata proportione) in privilegio concessio communitati, ideoque etiam quoad hanc partem non procedere distinctionem. Probat hoc ex Innocent. in dicto cap. *Accedentibus*;

ait enim monasterium habens privilegium non solvendi decimas, si solvat illas semel aut iterum ex communi consensu totius conventus, non amittere privilegium (utique in se), quia præsumitur id agere ad vitandam litem, quod est laudabile; et ita quoad illam solutionem valet actus, et consequenter etiam renuntiatio privilegii quoad solutum, licet non quoad solvendum. Et Panormitanus supra, in fine, fatetur quod ubi conventus potest renuntiare privilegio concessio, per unicam contraventionem directam illud perderet; sed clarum est posse renuntiare privilegio quoad unum actum, verbi gratia, quoad unam solutionem, vel quid simile; ergo quoad hoc valet usus contrarius, et in hoc quidem potest considerari differentia in tali usu, si fiat a privato religioso propria auctoritate, vel a toto conventu, seu ex potestate et scientia ejus; nam actus priori modo factus non solum non valet ad renuntiandum privilegio simpliciter, verum etiam nec secundum quid pro tali actu; nam validus non est, sed retractari debet, quia non est factus ab habente potestatem, nec ex consensu proprii privilegiarii. Quod secus est quando talis contraventione fit ex communi consensu, quia tunc, licet non sit satis ad renuntiationem privilegii in se, sufficit tamen ad renuntiationem quoad talem actum, contraria ratione. Tamen idem cum proportione intelligi potest in privilegio non solvendi decimas concessio privatæ personæ; nam si ipsemet privilegiarius semel solvat, renuntiare censetur, non simpliciter, sed quoad illum actum; si autem minister ejus, ipso inscio, et excedendo potestatem sibi commissam, solvat, non valet renuntiatio, etiam pro tali actu, quia non est a privilegiario nec ex voluntate ejus; ergo servata proportione non invenitur discrimen, ideoque frustra fit distinctio inter privilegia privatorum et communitatum.

14. *Privilegium non amittitur simpliciter per unam contraventionem, sed secundum quid.*—Unde tandem concludo privilegium non amitti simpliciter per unam contraventionem, sed solum secundum quid quoad talem actum, si ab ipso privilegiario, vel ejus auctoritate, scientia et voluntate fiat. Utrumque satis patet ex dictis; et hæc resolutio sumitur aperte ex Bartol. in dicta l. *Voluntarie*, et in l. ult., ff. de Constitut. princ.; et ex Alexand., cons. 33, quod refert et valde commendat Greg. Lop., d. l. 42; et alia in confirmationem hujus sententiæ adducit quæ in

præcedenti puncto indicavi. Ex quibus colligo non recte dixisse Fel., supra, num. 28, cum Joan. Andr., si doctor habeat privilegium non disputandi, et semel disputet, amittere privilegium. Nam si intelligatur de amissione simpliciter (ut ipse intendit), falsum est: de amissione autem secundum quid est impertinens, quia ibi non est alia amissio præter actualem usum contrarium qui supponitur. Infero etiam non recte dixisse Angelum, quem supra etiam Fel. refert et sequitur, si quis habens privilegium non solvendi vectigalia describatur in libro talium gravaminum, et ipse non contradicat intra decem dies, amittere privilegium. Hoc enim nullo jure probatur, et illa remissio in contradicendo, seu appellando, ad summum est consensus in quendam usum privilegio contrarium, qui non sufficit illud tollere usque ad legitimam præscriptionem, ut late Jason in l. ult., ff. de Constit. princ., et Greg. Lop. supra.

15. *Ad jura adducta pro Panormitano respondetur.*—Neque contra hanc partem obstant jura quæ Panormitanus adducit, nam in cap. *Cum renuntiat* non est sermo de hoc genere renuntiationis, sed de renuntiatione peccati quæ fit per pœnitentiam, quæ debet esse absoluta, et in proposito perpetuo, ut abjiciatur peccatum, neque sufficit facere actum virtutis peccato contrarium ut intelligatur quis simpliciter peccato renuntiasse; et ita si per analogiam textus inducatur, potius probat contrarium. Alia vero, capit. *Si de terra*, et capit. *Accedentibus*, potius probant unum actum contrarium non sufficere ad tollendum privilegium. Neque id fuit speciale, quia monasteria non possent renuntiare privilegio; nam contrarium supponitur in ipsis textibus, ut supra visum est, et infra amplius declarabimus.

16. *Objectio.*—Aliunde vero objici potest cap. *Cum accessissent*, de Constit., ibi: *Nisi prædicti canonici contravenerint, aliquem, videlicet, in primicerium eligendo.* Per quæ verba indicatur unam contraventionem esse sufficientem ad destruendum privilegium. Respondeo tamen in illo textu non esse sermonem de privilegio privatæ personæ, sed de privilegio concessio Ecclesie seu Capitulo canonicorum; et ita etiam Panormitanus et alii tenentur illi respondere. Unde Panormitanus sentit illud rescriptum pertinuisse ad utilitatem canonicorum, non Ecclesie, et ideo de illo censeri sicut de privilegio privatæ per-